

PROOEMIUM (B)

1 1. (De coniunctione Ecclesiae cum tota familia gentium) (C)  
 Gaudium et spes (D), luctus et angor hominum huius temporis, pauperum  
 praesertim et quorumvis afflictorum, sunt (E) etiam gaudium et spes,  
 luctus et angor Christi discipulorum (F), nihilque vere (G) humanum  
 5 invenitur, quod in corde eorum non resonet. Ipsorum enim communitas (H)  
 ex hominibus coalescit (I), qui in Christo coadunantur et a Spiritu  
 Sancto diriguntur in sua ad Regnum Patris peregrinatione et qui nun-  
 tium salutis omnibus proponendum acceperunt. Quapropter ipsa sentit  
 se revera (K) cum genere humano eiusque historia intime esse coniunc-  
 10 tam (L).

2. (Ad quosnam Concilium sermonem dirigat). Quapropter Concilium  
 Vaticanum Secundum, postquam mysterium Ecclesiae penitus investigare  
 satagit, iam non ad solos Ecclesiae filios omnesque Christi nomen in-  
 vocantes, sed ad universos (A) homines incunctanter sermonem convertit.  
 15 Cunctis exponere cupit, quomodo Ecclesiae (B) praesentiam ac navitatem  
 in mundo hodierno concipiat.

Mundum (C) igitur prae oculis habet hominum seu universae familiae hu-  
 manae (D) cum universitate rerum in quibus vivit (E), theatrum histo-  
 riae generis humani (F), eiusque industria, cladibus ac victoriis si-  
 20 gnatum (G); mundum (H), quem Christifideles credunt ex amore Creatoris  
esse conditum et conservatum (I), peccati regno profunde turbatum (K),  
 a Christo crucifixo et resurgente (L), fracta potestate Maligni (M),  
liberatum, ut ad consummationem propositi Dei de universali salute  
 transformetur (N).

25 3. (De ministerio homini praebendo). Nostris hisce diebus genus  
 humanum, de propriis inventis propriaque potestate miratum, saepe ta-  
 men anxias agitatur quaestiones de hodierna mundi evolutione; de loco et  
 munere hominis in orbe universo, de sui individualis ac collectivi co-  
 naminis sensu, de ultimo rerum et humanitatis fine. Quapropter Conci-  
 30 lium, fidem universi populi Dei testificans et exponens (A), coniunc-  
 tionem, observantiam ac dilectionem eius cum tota hominum familia, cui  
inseritur (B), eloquentius demonstrare non valet quam instituendo cum  
 ea de variis illis problematibus colloquium, lumen afferendo ex Evan-  
 gelio (C) depromptum, atque humano generi salutare vires suppeditando,  
 35 quos ipsa Ecclesia, Spiritu Sancto ducente, a Fundatore suo accipit (D).  
 Hominis enim persona salvanda humanaque societas instauranda est. Homo  
 igitur, ac quidem unus et totus, cum corpore et anima (E), corde et  
 conscientia, mente et voluntate, in capite nostrae explanationis collo-  
 cabitur.

40 Ideo Episcopi, in communiione cum Summo Pontifice (F), altissimam voca-  
 tionem hominis ante oculos ponentes et divinum quoddam semen in eo in-  
 sertum asseverantes (G), generi humano sinceram cooperationem Ecclesiae  
offerunt ad instituendam eam omnium fraternitatem quae huic vocationi  
correspondeat (H). Nulla ambitione terrestri moventur, unum tantum de-  
 45 siderant: nempe, Spiritus Paracliti ductu (I) opus ipsius continuare  
 Christi, qui in mundum venit ut testimonium perhiberet veritati, ut  
 salvaret (K), non iudicaret (L), ut ministraret, non ut ministrare-  
 tur (M).

*abrenun-  
tatio de his  
problematibus se  
dignis se*

*17 abrenun-  
tatio de*

Relatio ad Prooemium

Ad n.1

- (A) De appellatione toti Schemati imponenda, agetur post examen totius contenti.  
Unus Pater proponit ut dicatur "De Ecclesia huiusce nostrae aetatis", ob incompletam explicationem vocis "mundi" (5747), sed cf.n.2, ad C.
- (B) Unus Pater, cui plures alii adstipulantur, petit substantialem abbreviationem, ita ut ex toto Prooemio tantum retineatur una phrasis, vid. pag.5, linn.15-20; sed talis coarctatio essentialia Prooemii limiteret (textus Bengsch).
- (C) Unus Pater dicit textum nimis sapere condescendentiam ex parte Ecclesiae; (5478), sed cf. notam H.
- (D) Unus Pater proponit aliud initium "Hominum huius temporis" (5489); alius "Signum salutis" (Conf. Episc. Afric.Mer.Or.).  
Sed textus praeiacens est magis significativus.
- (E) Unus Pater proponit "sint" (5414); sed ita inciperetur moralizando, et modus indicativus verum factum exprimere intendit.
- (F) Vitandum videtur hic ut sermo fiat de "Populo Dei", propter universitatem eorum, quos alloquimur.
- (G) Ita aliquis Pater (5634).
- (H) Melius etiam hoc loco vitatur expressio "Ecclesiae", ne textus nimis insistere videatur in elemento hierarchico vel institutionali. Nec placet suggestio alicuius Patris, ut post Populum Dei addatur "Corpus Christi, templum Spiritus" (5292). Imo posset adhuc clarius dici "Ex hominibus enim coalescit etiam ipsorum communitas; ex hominibus qui...".
- (I) Alicui Patri videtur superfluum, sed immerito (5489).
- (K) Aliquis Pater desiderat, ut ontologicus aspectus prae gnoseologico ponatur (5489).
- (L) Abbreviandi causa tollitur phrasis "Hodie ceterum...", quia enuntiat ideam quae postea pluries exprimitur.

Ad n.2

- (A) Ita secundum suggestionem alicuius Patris cui displicet expressio quae invenitur in textu (5634).
- (B) Ita unus Pater (5292); alius desiderat, minus feliciter, ut loco "Populi Dei" scribatur "Regni Dei" vel "Corporis Christi" (5288).
- (C) Multis displicet incisum de "mundo". Aliqui Patres integras novas formulas proponunt quibus conantur in uno textu comprehendere terminologiam biblicam (5288, 5489, 5583, 5551, 5414); nulla tamen plene satisfacit. Complures postulant ut omittantur verba "donec in fine...salvetur" (5834, 5292, 5551, 5486, 5639, 5424, 5438); aliquibus dicta videntur esse incompleta (5606, 5747).  
Explicationem desiderant regni "Maligni" (5488); non placet formula "quamvis peccatores sint" (5292); nec "hoc tempore" (5488); nec defectus visionis historiae (5292); desideratur additio eschatologica (5292), allusio ad Mysterium Verbi incarnati, Christi crucifixi et resurgentis (5287).  
Hac de causa totum comma noviter redactum est, omittendo quaestionem terminologiae "de mundo" in Sacra Scriptura, quae, ut in notis addatur, suo loco in Schemate respicienda est; adducendo dimensionem anthropologicam, cosmologicam, historicam "mundi" de quo sermo est; addendo interpretationem eam christianam quae Schemati respondeat.
- (D) Aspectus anthropologicus (simul socialis).
- (E) Aspectus cosmologicus.
- (F) Aspectus historicus.
- (G) Elementa proposita a variis Patribus (5606, 5478).
- (H) Phrasis sequens additur, ut appareat conceptio "christiana" mundi.
- (I) Ita iam dogma fundamentale creationis indicatur.

- (K) Ita visio hamartologica clare retinetur.
- (L) Additur "crucifixi et resurgentis", propter rationem oecumenicam et theologiam Orientalium.
- (M) Ulterior descriptio Maligni hic non conveniret.
- (N) Aspectus eschatologicus.

Ad n.3

- (A) Ita melius apparet relatio Conciliis loquentis ad totum Populum Dei, nec obscuratur unitas subiecti loquentis (5488).
- (B) Ita melius apparet coniunctio Populi Dei cum mundo, et vitatur impressio distantiae et condescendentiae falsae (5488).
- (C) Contra propositum unius Patris, substituendi "Evangelium" per "revelationem" (5488).
- (D) Ita secundum suggestionem, non verba alicuius Patris (5489).
- (E) Maneat textus de "corpore et anima", etiamsi expressio est forsitan minus biblica; falsa enim non est; cf. Pars I, Cap.I. (5287, cf.5747). Praeterea homo dicitur "unus et totus".
- (F) Aliquis proponit, ut loco "Episcopi" dicatur "Pastores" (5643) vel "Synodus Vaticana" (5488); alius ut allusio fiat ad Enc. "Pacem in terris" et "Ecclesiam Suam" (5583); sed hoc minus convenire videtur.
- (G) Ita facilius legitur et intelligitur textus.
- (H) Ita vitetur impressio quasi ageretur de fine tantum naturali et missio Ecclesiae confunderetur cum missione hominum qua civium.
- (I) Mutatur modus loquendi de Spiritu Sancto, ne fiant repetitiones in stilo (5488).
- (K) Aliquis Pater proponit additionem, sed inutilem (5292).
- (L) Aliquis Pater, non obstante traditione Vulgatae, putavit dicendum esse "perderet" aut "condemneret" (5643).
- (M) Aliquis Pater additionem insuper suggerit de "Regno Dei" (5288), quae hic non esset ad rem.